

LXVIII

CHR. FUNCCI M.
Freiberg.

RECTOR,

HERCULES SCHOLAST.

DISCIPULUS,

ICARUS SCHOLAST.

*uterq; Oratione solemniter
expressus,*

cumq;

ΘΑΛΛΟΦΟΡΙΑ

GORLICENSI

Sumptibus

JOHANNIS CUNDISII,

Bibliopolæ Gorlic.

conjunctim editus

G O R L I C I I

ap.

CHRISTOPHORUM ZIPPERUM,

ANNO ÆRÆ CHRIST. MDCLXVIII.

Sächsische

31 8°

3877

Landesbibl.

57

1172

F. [Christmann]

AMPLISSIMO
INCLUTÆ
REIPUBLICÆ
GORLICENSIS
ORDINI



dedicat consecrat q̄

CHR. FUNCCIUS M.
Gymn. Gorl.R.

1957 · IV e 1154

Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi,
Prudentissimi, Spectatissimi

DNI CONSULES,
PRÆTOR, SCABINI,
cæteriꝫ; SENATORES,
PATRONI OPT. MAX.



Pud Romanos, potentissimos quondam gentium Dominos totiusꝫ; Orbis domitores, NOBILIOR ille, qui cum Æto-^{i.e. Græcis}lis, Ennio comite, bellavit, FULVIUS Martis manubias Musis consecrasse legitur: Legitur & novem Musarum simulacra, Ambraciâ ^{civitas nobilis Æt. proba Epiri.}alata, Herculi olim consecrasse, Æde communi dedicatâ. Innuere nempe cupiebat, mutuâ operâ hunc illasꝫ; indigere, & dignitatem Musis suam ab Hercule vindicandam esse, & Herculis item gloriam earum ore celebrandam. Idem hoc vestrum est iudicium, ideoꝫ;

tantò bene favere studiò MUSIS NISSIA-
CIS annisi tenus hac estis, ac hodienum lau-
dabiliter annitimini, necquicquam præter-
mittentes, quod ad rei Scholasticæ conserva-
tionem facit. Maçti esto bono hoc animò
ad unum omnes, maçti estote singuli, quò
ipsò, dum non infra Amplitudinem vestram
Scholæ curam putatis, sed per bene constitutos
DUUMVIROS (OPT. CURATORES SCHO-
LÆ intelligo) luculenter ostenditis, Vos literas
literarumq; officinam, h. e. Scholam, æstimare,
nihil omninò Lacedæmoniis ceditis. Quid
enim? Nonne Lacedæmonii, quorum Res-
publ. ob multas honestas constitutiones, le-
ges, ac mores, & publicè & privatim observa-
tos, celebris evasit, plurimum studii in pue-
rorum institutione, eâq; non privatâ, sed pu-
blicâ, posuère? Commendat utiq; consvetu-
dinem eorum, summus rerum omnium iudex,
Aristoteles: Commemorat, imperatoriæ artis
Doçtor, Xenophon, ut & Plutarchus in Lycurgo
latiùs. Ejus adscribere verba heic mihi non
erit

erit senio: *Lacedæmoniorum*, inquit, *liberis*
non preposuit Lycurgus emptitios aut mercenarios
Pædagogos, neq̄ poterat quisquam pro arbitrio
suo alere & instituere filium: Sed omnes, ut se-
ptimum annum excefferant, centuriavit ipse in
classes, pariq̄ atq̄ unâ libertate ac contuberniô
colludere inter se & studiis vacare docuit. Ho-
rum cohorti dedit præfectum, ingeniô qui præ-
celleret, inq̄ pugnis esset animosissimus. Eum
intuebantur, dictoq̄ imperanti erant audientes,
punientemq̄ ferebant. Hactenus optimus Prin-
cipum Censor, in quô liberû miramur, ut de re
aliâ quavis, ita de primâ Lacedæmoniorum in
bene educandâ ac erudiendâ sobole curâ, judi-
cium. Reliquorum interim Græcorum in in-
formandâ juventute morem decima Musa,
Plautus, aperit, quando Lydum Pædagogum,
de antiquâ Græcorum puerorum institutione
in Bacchidibus (Comœdiâ palliatâ) ita loquen-
tem inducit:

Nego tibi annis viginti fuisse primis copiam,
Digitum longè â Pædagogo pedem ut efferres ex adibus:
Ante solem exorientem nisi in palæstram veneras,
Gymnasi præfecto haut mediocres pœnas penderes.

Petit. Mi-
scell. L. 1.
c. XVII.
p. 114.

Publicæ hoc informationis luculentum est
testimonium: Suspectum tamen de mendo id
primus habere cœpit eruditissimus Gallus, SA-
MUEL PETITUS. Unde & feliciter ex his
legis apud Æschinem verbis emendavit: 'Οι δὲ
τῶν παιδῶν διδάσκαλοι ἀνοιγέτωσαν μὲν τὰ διδα-
σκαλεῖα μὴ πρότερον ἢ λῆξ ἀνιόντῃ, κλειέτωσαν δὲ
πρὸ ἡλῆξ δύνοντῃ. Cavet enim hac lege Solon,
Ludos literarios ad exorientem tantum, non
antè, aperiri, claudi verò ante occasum Solis.
Quare pro culpato illo, *ante solem exorientem*,
legit, *adve Solem exorientem*, i. e. ubi primùm
aperiebatur Ludus & Gymnasium, quod fiebat
ad exorientem Solem, nisi veneras, Gymnasii
præfecto pœnas dabas. Sic jam laudabile La-
cedæmoniorum institutum habetis: Habetis
& memorabile totius Græciæ Κηροτρόφος, ut Eu-
ripides in Troadibus eam appellitat, exem-
plum, quod sequimini. Ne dicam, quod Prin-
cipum longè maxumorum sequamini exem-
plum, in quibus Archelaum, Macedoniae Re-
gem, nomino. Is siquidem, ut, scire se litera-
rum

juvencularum
nutritio

rum dignitatem & æstimare Musas, testaretur,
Jovi has exæquavit, communeq; illi ipsiq;
Festum instituit, cui nomen ΜΟΥΣΕΙΑ. Du-
rabat id novem dies, ita quidem, ut Musæ cu-
jusq; nomini unus propriè dicaretur. Καὶ σκη-
νικὰς ἀγῶνας, Diodorus refert Siculus, συνετέλεσε
Διὶ καὶ Μούσαις, ἕς Ἀρχέλαϑοῦ ὁ προβασιλεύσας
πρῶτῳ κατέδειξε. Τὴν δὲ πανήγυριν ἐφ' ἡμέρας
ἐννέα συνετέλεσεν, ἐκάστη τῶν Μουσῶν ἐπώνυμον ἡμέ-
ραν ἀναδείξας. Nōrat nempe Rex egregius, Vosq;
item, quibus par affectus erga rem literariam animi,
nōstis, Ordinis dignitatem à Majoribus quidem
partam obvenire, sed facilius conservari non posse,
quàm rei literariæ beneficiò, quæ, si Scholæ vestrò
studiosè diligenterq; exemplò curantur, æq; ipsa
curatur, & laudabili hac curâ ad seram posteritatem
propagatur. Sic itaq;, Musas quoniam arctissi-
mo Vobis obstringitis vinculo, omnes illi, qui ea-
rum Sacerdotes se esse profitentur, curam hanc tam
honestam, tam utilem, tamq; necessariam, quam
pro illustri vestro Gymnasio geritis, nunquam præ-
dicare desinent, inq; his neq; Ego. Sed laudem,
quam ingentem heic meremini, quum celebrare fa-
tis dignè nequeam, Chartam ecce hanc universam,
in

*Mens.
Gracia fe-
riata L. V.
p. 205.*

1. Ex. Poed 257#2

2. Ex. (507)

in quâ Pietas mea, literarum monumentis expressa,
cernitur, Vobis fisto, quæ id faciat. Non quidem
tam illud ALTENBURGENSE VALE, quàm
GORLICENSE SALVE cum ΘΑΛΛΟΦΟΡΙΑ
GORLICENSI Vobis, Vobis, inquam, Patronis,
Vobis Fautoribus plurimùm suspiciendis, sacrum
esse volo, quippe qui cum prisca ævi hominibus ne-
fas esse duco alii fruges, quàm Soli, cujus beneficio
succreverunt, dicare. Vos modò omnes parili, h. e.
amicâ, manu capite Chartam, serenâ fronte universi
ejus tenorem legite, & boni animi deq; Scholæ ve-
stræ salutè maximè solliciti studium, tanquam æqui
Censores, singuli agnoscite, ab odio, amicitia, irâ, mi-
sericordiâ, aliisq; affectibus, quibus vacuos esse de-
cet, qui de rebus judicant, prorsus alieni. Haut faci-
lè siquidem animus verum providet, ubi illa offici-
unt. Quod superest, Ego nunc opto, ut DEUS ter
Opt. ter Max. unicus pacis & Concordiæ, quâ in sta-
biliendâ vestrâ Republ. inq; re item Scholasticâ lon-
giùs provehendâ quàm maximè opus exulceratò
hoc seculò habetis, Autor, Curiam vestram diu flo-
rentem, Vos verò summâ benignitate hilares ac
fortes perpetuò servet. GORLICII Anno
cId Idc LXVIII. Eid. Nov.



A. Kempner. v. d. d. 1713

3A 80 3877 +